

Tentamen medicum de mechanismo partus perfecti ... / [Jens Bang].

Contributors

Bang, Jens, 1737-1808.
Saxtorph, Matthias, 1740-1800.
Københavns universitet.

Publication/Creation

Havniae : Typis Nicolai Möller, [1774]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/bf2gz868>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.


You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

61282/P

BW 7




TENTAMEN MEDICUM,

INAUGURALE,

QUÆDAM DE

Febribus Intermittentibus

C O M P L E C T E N S.



ТИТУЛ МЕДИЦИНСКОГО

ИАНОПРАВА

БИЖУАРІЯ

Епіпіс Третинній
КОМПЛЕКСНІЙ

Історія фармації та аптекарства
заснована на даних з
Історії фармації та аптекарства

TENTAMEN MEDICUM,

INAUGURALE,

QUÆDAM DE

Febribus Intermittentibus

C O M P L E C T E N S.

Q U O D ,

A N N U E N T E S U M M O N U M I N E ,

E x A u t o r i t a t e R e v e r e n d i a d m o d u m V i r i ,

D . G U L I E L M I R O B E R T S O N , S . S . T . P .

A C A D E M I Æ E D I N B U R G E N Æ P raeſecti;

N E C N O N

A m p l i f ð i m i S E N A T U S A C A D E M I C I c o n f e n s u ,

E t n o b i l i f ð i m a e F A C U L T A T I S M E D I C Æ d e c r e t o ,

P R O G R A D U D O C T O R I S ,

S U M M I S Q U E I N M E D I C I N A H O N O R I B U S A C P R I V I L E G I I S

R I T E E T L E G I T I M E C O N S E Q U E N D I S ;

E r u d i t o r u m e x a m i n i f u b j i c i t

J A C O B U S C O L L I E R ,

B R I T A N N U S .

Ad diem 13. Septembris, hora locoque solitis.

E D I N B U R G I :

A p u d B A L F O U R e t S M E L L I E ,

A c a d e m i a e T y p o g r a p h o s .

M,DCC,LXXXIV.

1600
MOSCHI ETIAM TITULAT

RADUPHONIANAE

LIBRARY OF THE
ROYAL COLLEGE OF SURGEONS

OF ENGLAND

U.S. LIBRARY



JACOBUS COLLIER

Viro illustri

R A D U L P H O D U N D A S ,

Sub

Ordinibus Belgii Foederati praeotentibus,

Uni e Ducibus

Et

Legionis Peditum quondam Scoticae Legato ;

Ob multa in se collata beneficia,

Et amicitiam vere paternam,

Has studiorum primitias,

Grati animi

Et

Summae observantiae

Testimonium,

Offert

J A C O B U S C O L L I E R .

Dr. D. Butts with respygul
pliments from his most
Obedient Servt

The Author

TENTAMEN MEDICUM,

INAUGURALE,

QUÆDAM DE

Feribus Intermittentibus

COMPLECTENS.

NEQUAQUAM mihi hic in animo est
in longam de feribus intermittentibus rationem inire, neque in quos, qui de
natura earum causisque differuerunt, erro-
res inciderint, in eos nunc temporis animad-
vertere; quippe quod adeo Cullenus opus
absolvit, ut vanis istis theoriis nulla nunc sit
fides: Quinetiam multis ingeniosis, quae

A

ex

2 DE FEBRIBUS

ex Alma hac academia prodierunt, dissertationibus materiam haecce res praebuit, nobis igitur omnino praetereunda.

Brevi hoc conamine eam primum februm intermittentium causae proximae explicationem afferre conabor, quae et faciei morbi peculiari, signisque sese invicem excipientibus, maxime convenire videatur.

2do, De causis remotis quaedam dicenda.

3to, Inquirendum, quantum febres intermittentes species exhibeant diversas, quibusque tandem ex causis istiusmodi diversitates proveniant.

4to, De febribus denique intermittentibus in genere curandis, pauca adjicienda.

In summos medicinae honores via certe minus trita ingredi licebat; neque hanc tot ante me pedibus calcatam fuisse ingressurus, nisi et in naturam febrium intermittentium curamque magis animum, quam in aliam quamvis medicinae partem, intendissem; ex eo quod mihi chirurgi munus obeunti in cohorte Scotica, cui Praefectus

egregius

egregius Houston, sub ordinibus Hollandiae praepotentibus merente, et inspiciendae essent saepe et curandae.

Ante vero quam de febrium intermitterentium causis dicere incipiam, quae in earum paroxysmo usu veniant symptomata notare oportet, utpote qui ex facie peculiari, signisque semet invicem excipientibus, causam proximam commonstraturus sum. Haec autem ex Primis illustrissimi Culleni Lineis defumenda descriptio. Neque enim vel magis ea lucidam vel elegantiorem quis instituat.

HISTORIA MORBI.

Primo, aeger languore debilitatisve sensu, afficitur, dein inertia quaedam motusque difficultas supervenit, quae oscitatio denique pandiculatioque subsequuntur. Facies simul partesque extimae pallescunt, oris linea-

lineamenta contrahuntur, partis pcujusque
externae moles extenuatur, totiusque cor-
poris cutis frigore quasi constricta conspi-
citur.

Symptomatisbus hisce supervenientibus,
extremorum frigus quoddam, aegrum quan-
quam ipsum effugiat, alteri tamen percipi-
endum est. Tandem vero et ab aegro ip-
so sentitur, in dorso primum, ut plerumque
fit, unde per corpus totum propagatur;
quo tempore cutis aegri ab alio calida depre-
henditur. Auctus frigoris sensus, membro-
rum omnium tremorem, succusisque trunci
corporis frequentes simul rigoresque indu-
cit. Frigoris hunc sensum ejusque effectus
gradatim comminutos, calores alternantes
excipiunt. Tandem frigus penitus eva-
nescit, calorque major solito exoritur,
quocum color redit cuti, et rubedo praeter
naturam quandam, in vultu praefertim, ap-
paret. Inter haec cutis laxatur, et gla-
brescit, attamen aliquamdiu sicca manet.
Pristinam molem corpus, imprimisque facies,
recipiunt,

recipiunt, quin et turgidiora fiunt. Calor, rubedo, tumorque, certum ad terminum crescunt; quo quum pervenerint, in facie apparet humiditas, in sudorem quae gradatim convertitur, quaeque per totum usque corpus diffunditur. Dum hoc fit, calor decrescit, sudor post aliquod tempus gradatim cessat, ad solitam temperiem corpus redit, functionesque pleraeque ad statum demum pristinum restituuntur *.

CAUSA PROXIMA.

Sedantia quaedam, quae, systemati nervoso adhibita, vim cerebri imminunt, quaeque exinde omnes penitus functiones, praesertim vasorum extremorum actionem, causae febrium intermittentium remotae existunt. Ea autem oeconomiae animalis est indoles, ut ipsa haec debilitas systemati sanguiferi stimulus indirectus evadat; unde, stadio gelido, spasmo que comite, intercedente, magis et cordis agendi

* Vide Cullen's First Lines, sect. x.

agendi vires arteriarumque magnarum augmentur, eo usque nempe duraturae, donec et vim cerebro suam, vasisque extremis, restituerunt, agendi vires renovarint, spasmusque delerint; quo demum extincto, sudor, aliaque excretiorum relaxationis signa oriuntur*.

Hanc nempe febris rationem Cullenus instituit: Quae in morbo signa praeveniant eam confirmare, ex iis, quae dicturus sum, satis patebit.

Ex signis jam recensitis, in istam certe sententiam eundum, ut quum gelidum febris stadium adeo constanter stadium ejus calidum excipiat, hoc ex illo oriri constitutamus; sique stadii gelidi causam explicare possimus, calidi quoque causam, pariter ac alia omnia, in morbi paroxysmo observantia, patere.

Quum systematis actiones ex fibrarum muscularium actione omnino fere pendant, harum deinde actionem ex vi cerebri, ad eas usque semper propagata, quam et vim nervosam dicimus, pendere putatur. Nobis

* Cullen's First Lines, sect. xlvi.

bis videtur laffitudinem debilitatemque, initium ei quae praebent, hebetudinemque, stadium quae febrium gelidum comitatur, vim nervosam aliquantum comminui, monstrare; quum et reliqua simul symptomata denotent, debilitatem hancce, quod cor praecipue spectat magnasque arterias, locum habere. Neque enim quis dubitare potest, quin partium extimarum pallor frigusque, quum totum simul corpus contrahatur, in extrema vasa sanguinem, neque eadem ac ante vi, neque copia, propelli satis demonstrent. Animalium quoque motuum languor, inertia, debilitasque, frigorisque sensus, quum calor revera adsit, vim cerebri admodum frangi, cuncta confirmant, eamque comminutam gelidi febris stadii principium constituere; signorumque exinde omnium, in febris intermittentis paroxysmo obvenientium, fundamenta jaci.

Quo quidem pacto fiat, ut debilitatis status, in corde arteriisque, diversum quendam statum, aucta nempe vi et actione, efficere, explicatu difficile. Ad systematis

vero

vero legem quandam generalem referendum est, secundum quam machina animalis adeo efformata est, ut, quum a statu naturali recedat, nifus quidam necessarius existat, quo corpus ad statum suum pristinum tendit, quemque dicimus vim naturae medicatricem.

Omni de hujuscce vis natura quaestione omissa, in febre eam revera locum habere, ex iis, quae, de stadiis calidis gelidisque semet invicem excipientibus, dicturus sum, fatis constare videtur.

Cordis debilitas et arteriarum, initio quae stadii gelidi adest, palloris, ut diximus, collapsus, immo constrictio*n*is, in superficie, rationem sat justam reddit. Quum solidum animale sit elasticum, atque quendam natura sua tensionis gradum undequaque subeat, quumque gradus hicce, in vasis extimis, ex sanguinis, ope cordis et arteriarum, in ea profluvio, quadam ex parte, pendeat, facile hinc constat, vis si haec tendens remittatur, vasa aliquantum contrahenda esse, idque ex mera elasticitate.

Quin

Quinetiam multa sunt, quae nobis fidem faciunt, vasa extrema contractilitate musculari esse praedita, quae, si non majorem, at diuturniorem quandam, in vasis extimis, contractionem efficit. Etenim, si ex mera tantum elasticitate vasa haec constricta essent, satis constat, simulatque cordi arteriis que actio sua restituatur, ad pristinam quoque dilatationem, mensuramque denuo haec vasa restituta fore, suaque, eodem quo ante modo, fluida transmissura. Quod minime tamen fit. Nam in febris paroxysmo, post cordis arteriarumque actionem restitutam, aliquamdiu tamen vasorum constrictio perstat. Cutis igitur exarida, urina tenuis atque limpida, alvus astricta, ulcerum siccitas, tumorumque collapsus, quae per stadium febris calidum omnia persistant, constrictionem hancce, post renovatam cordis arteriarumque actionem, etiamnum existere confirmant; atque hinc adducor ut credam, eam ex spasmodica fibrum muscularium, in extimis arteriis, con-

tractione pendere, aliquamdiu etiam existere, calidumque stadium sustinere; simul enim ac sudor effluat, aliaeque excretiones redeant, quae vasa antea constricta, nunc relaxata denotant, cessat hicce status.

Satis haec, me judice, demonstrant, spasmodicam in vasis extimis constrictionem existere, et in hanc plerique nuperi pathologifententiam iverunt, quoddam tamen adhuc desiderari ad febrium phaenomena, totamque causam proximam explanandam. Probabile admodum videtur, eandem vim imminutam, quae in corde et magnis arteriis adeo clare conspicitur, ad hasce usque extimas simul propagari; neque absimile videtur, hanc vasorum extremorum atoniam et invadendi, et percitandi occasionem spasmico huic praebere. Quae de stomachi in febribus functionum statu, cerebrique ipsius peculiaribus symptomatibus, in Primis suis lineis tradidit Cullenus, nostram hanc sententiam bellissime simul illustrant, valideque stabiliunt *.

CAUSA

* Sect. xliv. and xlv.

CAUSA REMOTA.

Apud plerosque medicos jam constare videtur, unamquamque febrium intermittentium speciem ex una eademque causa provenire; paludum, scilicet, miasmate, si-
ve terrae humidae, in quam quidam caloris gradus agit.

Num diversae sint exhalationum noxia-
rum ex paludibus orientium species, febres
quae intermittentes edant, nemo pro certo
affirmabit, donec veram earum exhalatio-
num naturam, experientia edocti, rite cal-
leamus: Facile autem adducor, ut credam,
unam esse tantummodo speciem, quaeque
vel potentia vel quantitate tantum mor-
bum inferendi variat. In hanc senten-
tiam adducimur ex eo, quod, inter alia
multa, eandem semper morbus prae se ferat

faciem,

CAUSA

faciem, singulis in coelis, annique temporebus, in omnes causae isti objectos incessens. Miasma hoc paludibus exoriens, ad materias animales putrescentes, atque ideo ad animantes in inundationibus plurimos, aquisque recedentibus aëri objectos, plerique retulerunt.

Primo autem multum dubitamus, num, ubi proveniunt febres intermittentes, copia ista corporum animalium adsit, ut ibi putredinis semper processus procedat.

Ex imbris enim inundationes aliquando existunt, nullam talem materiam exhibentes; quae tamen exhalatae, si gradus quidam atmosphaerae caloris eas comitetur, noxia ista effuvia aequa sunt ac aliae paludes editurae.

Multa etiam locorum exempla sunt, ex silvis solummodo vicinis, aliisque similibus, madidorum, quae vero aequa noxia evadunt.

Verum enimvero et de hoc dubitamus, num effuvia noxia febres intermittentes edentia,

edentia, ex materiis, seu putridis sive putrefcentibus quibusvis unquam oriantur; quum multos conspiciamus vaporibus animalibus objectos, noxiisque simul paludum effectibus prorsus immunes.

Qui in magnis urbibus degunt fordibus animalibus, indies in vicis accumulatis, sunt obnoxii, neque iis tamen nocentur.

Nec quidem qui in fordibus istis amovendis continuo versantur, majus aliquod, quam caeteri, detrimenti capiunt.

Neque vapores, ex sterquiliniis, agricolis in iis occupatis nocent;

Neque coriariis, ex exhalationibus coriorum putridis, quicquam unquam mali contingit.

Qui in cadaveribus incidendis versantur;
Nec quidem balaenarum, ex quibus ingens vapor putrescens perpetuo exsurget, incisores, febribus intermittentibus corripuntur.

Ut probetur effluvia noxia ex materiis putrescentibus oriri, hoc quoque allatum est argumentum,

argumentum, ea nempe modo fermenti in fluida nostra agere, quae facile in putredinem ruant. At enim constat febres intermittentes saepe intervenire, nullis vel paucis conspectis putredinis symptomatibus ; neque, si in corporis fluidis procederet fermentatio, quo tandem fieret pacto, ut febri intermittente laborantes secunda fere valedidine, dum intermittatur febris, gauderent, non explicatu facile foret.

Mea igitur sententia, putredo his in locis exoriens, nequaquam earum exhalationum, quas febrium intermittentium causas esse ponimus, origo est habenda.

Quoddam ergo et in paludum effluviorum natura, inque eorum affectibus, est, neutiquam adhuc rite cognitum ; atque nihil magis pro certo dici potest,

imo, Quam quod ex aquae superficie minime oriantur, ac ideo ex mera humiditatis exhalatione, seu frigus gignente, sive alio quovismodo agente, nihil pendeat. Quum terra domibus vicina aquis prorsus cooperta

cooperta sit, vel quum prope mare homines degant, vel oceano navigent, vel ad lacus habitent parum variabiles, vaporatio in quibus omnibus casibus abundet, nec tamen magis intermittentibus obnoxii evadunt.

2do, Ex terrae superficie madidae, in quam simul agit caloris quidam gradus, provenire videntur.

3tio, Natura esse praeditum sedante hoc miasma videtur.

4to, Verisimile est, multarum aliarum exhalationum noxiarum ritu in atmosphaera dispersum, innoxium evadere, atque ideo haud longe ab origine sua agere.

Hucusque firmo quodam fundamine innixi progressi videmur; at et aliud in istarum exhalationum natura peculiare restat, quod ad notandum, ac pro virili explicandum, nunc accingemur; quanquam solis nos niti conjecturis fatendum.

Exinde enim febris effici videtur, ab omnibus aliis febrium speciebus diversa; quippe

pe quae non solum ex paroxysmis pluribus, una cum apyrexia absoluta, seu diutius si-
ve brevius perstantibus, constet; verum e-
tiam *dispositionem* quandam *habitumve* in
corpus inducit, quo ejusdem generis febri
obnoxium evadat, tametsi eidem causae mi-
nime obiectus sit.

Qui quibusvis febris continuae speciebus laborarunt, in integrum restituti, nisi iis-
dem similibusve causis sint expositi, in ean-
dem denuo febrem neutiquam incurront.

Atque, quod ad istas febris species spec-
tat, quae ex *contagione specifica* oriri putan-
tur, apud omnes fere convenit, qui semel
iis afficiuntur, in eos nunquam postea ejus-
modi febres incessere.

In febribus autem intermittentibus longe aliter evenit. Quos enim vel semel febris intermittentis invaserit, seu tertiana sit, sive quartana, sive quotidiana, in eos rursus febrem eandem, et si causa prima non iterum applicata fuerit, eundem fere quem antea typum conservantem, ingruere videmus.

Hancce

Huncce morbi redditum, quanquam absit ejus causa, rem quasi factam nobis assumimus. Quaenam vero causae occasionem ei recurrendi praebeant, pro certo affirmare non possum. Hoc autem constat, in coelis praesertim frigidis, verno tempore, multum quum et frigus variet calorque, redditum intermittentium praesertim observari. In patria quoque nostra, aliisque regionibus, Euro nempe saeviente, quod plus minusve unoquoque vere usu venit, facillime denuo intermittentes graffantur. Verum quidem est, intermittentes vernales in eos nunquam antea morbo affectos invadere ; nobis autem videtur, ejusmodi febres etiam in eos tantum ingruere qui locorum effluviis, ad istas efficiendas validis, antea objecti fuerant. Ac tametsi de febris intermittentis causarum origine dubium sit, nihil nobis tamen dubitandum videtur, corpus humanum morbo redeunti esse obnoxium ; idque etiam sine causa primaria adhibita, quodque hoc intermittentium proprium est.

Huncce

C

Hujusmodi

Hujusmodi recursus hac in urbe ita evenire, innumeris ex exemplis patet; quodque jam dicturus sum hoc valde confirmat, febres nempe intermittentes ex causa pecunii, proclivitatem quam diximus, habitumve inducente, provenire. Nam in singulis fere febris intermittentis, hac in urbe editae, exemplis, qui nunc affecti, eodem ante morbo laborasse, causisque, quas diximus, febrim intermittentem efficientibus, obnoxii fuisse, videntur. Quod et certius stabilitur, quum, omnium sententia, febris intermittens genuina, fere nunquam neque urbis hujus, neque vicinii, indigena agnoscatur.

Caloris frigorisque vicissitudines, effectusque ventorum quorundam peculiares, quadam ex parte, morbo recurrenti occasionem praebere, minime negandum; atenim nisi corpus humanum sit antea proclive, illa parum per se ipsa ad hoc valere opinor.

Quomodo enim aliter ratio reddenda cur, dum hae existant vicissitudines, cynanche, catarrho, pleuritide, inflammatoriisque aliis

aliis affectionibus plerique correpti sunt; in eos autem eodem ante morbo affectos febris intermittentis invadit, praeterea neminem.

Ex quibus tandem haec constet praedpositio nunc forsan dicere difficile foret; nostra tamen sententia ex vi consuetudinis pendere videtur habitum corporis peculiarem inferentis, quae priori illum affectioni subjiciat.

Neque hoc negandum est, recursum istum morbi ex diversis anni temporibus quodammodo pendere, cum haec multum corpora nostra afficiunt, morborumque constitutionem quadam ex parte conficiunt. Censeo autem corporis nostri mutationes, ex temporibus anni alternis editas, pro parte tantummodo causarum quae corpus humanum, vi consuetudinis facilius affordendum reddunt, habendas esse.

Quantum vero anni tempora, semet invicem excipientia, febrium intermittentium statum diversum efficiant, ex iis, quae de febrium

febrium intermittentum discriminibus dic-
turus sum, magis patebit.

DISCRIMINA MORBI.

Ex intervallis, seu temporis isto spatio
inter unam paroxysmi accessionem alteram-
que proxime in sequentem intercedit, di-
versas in species febres intermittentes distri-
buuntur. Qui diversa autem earum genera
speciesque, summa cum cura recensita, in-
que ordinem redacta, conspicere velit, Cul-
leni accuratissimam synopsin nosologicam
adeat oportet.

Febres quoque, remittentes quae dicun-
tur, diversum quendam ab intermittentibus
constituisse morbum, nonnulli censuerunt ;
attamen ex omnium fere nunc medicorum
sententiis, et ex eadem provenire causa, e-
ademque esse natura, qua febres intermit-
tententes, constare videtur. Atque et de his,
variisque omnibus aliis, quae pro febrium

intermittentium speciebus ponuntur, notandum, eas omnes ad genus unicum, fortasse referendas esse, et quod hoc sit illa febris tertiana vulgo appellata, quae diurnitate paroxysmorum et diversitate intervallorum tantum variat. Rem ita se habere ex sequentibus arbitramur:

1mo, Quod symptomata praecipua iis eadem omnibus contingant.

2do, Quod in se invicem cunctae mutari possint.

3to, Quod ex iisdem omnes causis ori-
antur, iisdem nempe locis, iisdemque an-
ni temporibus, graffantur.

4to, Quod denique eadem earum omni-
um medela fit.

Si eadem igitur sint natura febres omnes
intermittentes, discrimina harum, vel ex
causis externis adhibitis, vel ex corporis ip-
sius statu quodam, intermittentem perfec-
tiorem, sive irregularēm, vel remittentem,
efficiente, constabit pendere.

Nostra quidem sententia, corporis huma-
ni status varii sunt, qui ad horum morbo-
rum

rum constitutionem conferre valeant; hujusmodi autem statum ex causis externis adhibitis, etiam magna ex parte, pendere censemus; resque ipsa, ni multum fallimur, commonstranda est, ex eo quod febres omnes intermitentes oriantur, ex causis quae pro vario earum statu, febribus varium statum et modum tribuere, possunt.

Praecipuum certe febrium intermitterium in genere, discrimin nobis videtur esse proclivitas, major vel minor ad intermittentis, vel continuae remittentis formam inducendam, et ex specie, vel vehementia symptomatum proclivitas illa judicanda est.

Etenim, si febris intermittens, regularibus cum paroxysmis, absolutisque intermissionibus, adsit, diathesin simul phlogistica, et pauca, quae putredinem indicant adesse, ipsa symptomata plerumque commonstrant. Sin autem, e contrario, exsurgent paroxysmi irregulares nullis intermissionibus, et non nisi remissionibus fere continuis interstanti, parum phlogisticae tunc diathesis

diathesis nihil, putredinis vero multum, adesse, probe cognitum est.

Ex febrium igitur intermittentium in hunc vel illum statum proclivitate, discrimina earum pendere mihi videntur; atque, prout diversi hi status plus minusve valeant, prognosis nobis effingenda est, methodusque medendi. Quumque vel maxime hoc medici attentionem flagitet, ad istas nunc detegendas causas, febres quae intermittentes, seu phlogistico sive putrido statui procliviores reddant, animus nunc advertendus est.

Proclivitatem hancce ex vi causarum febris remotarum, quadam ex parte, pendere, verisimile videtur; quoniam, quo istae potentia validiores, vel quo copia majore applicatae sint, eo fortius in corpus humanum agant necesse sit. Quum autem effluviorum, quae causas esse supra memoravimus natura nos lateat, et quanquam illa pro varia eorum conditione morbum plus minusve violentum efficere queant, nequaquam vero inter causas, quae magis nostris sensibus subiectae,

subjectae, febrium intermittentium discrimina edunt, recensenda sunt.

Causas hasce, vel ex volventibus annis temporibus, vel ex iis quae in ipsis temporibus peculiaria eveniunt, pendere, quae, de sensibilibus aëris qualitatibus mihi nunc dicenda sunt, confirmare videntur.

Ex his quoque, nobis ut videtur, patet, eandem, et de quibusdam corporis conditionibus, morbi modificationem constitutentibus, rationem esse reddendam.

Tum de calore et frigore, tum de siccitate et humiditate, hic dicere licet; sed ad duos priores præcipue morborum status referendus. Quamvis enim et multum ad hoc conferre siccitas humiditasque videantur, attamen in calorem tantum frigusque augendo imminuendo, ea agere compertum habemus. Ita siccitas auget gradum eorum, extenuat humiditas. Hinc, quod saepe notatum, quum ex vehementia multum et caloris frigorisque effectus pendeant, aestates humidae nostra in Britannia, utpote frigidiusculae, morbis maxi-

me liberae evadunt; hiemesque madidae, prae caeteris quippe tepidae, contagionis simul si immunes sint, sanos maxime nostrates praestant. Attamen fatendum esse, quod sint quae huic sententiae objici possunt, contrariosque aliquando effectus humiditas edere videtur. Quamvis enim caloris intensitatem minuat, nisi infra gradum tamen putrescentem deprimat, ex exhalationibus in corporis superficie detentis putredinem magis augere, quam calorem moderando eam minuere, potest. Dum calor ideo noxia effluvia praecipue creat, si multum simul humiditatis adsit, haec eadem coacervat, et ad hominum corpora applicat. Eodem modo, si frigus ultra quendam gradum haud minuat humiditas, vaporationi occasionem praebens, vim ejus augere potest. Siccitas, contra, caloris quamvis gradum augeat, cumque eo conjuncta actionem ejus in corpus humanum potentiores reddat, superficiem tamen terrae constringens, exhalationesque exinde vel minuens, vel subito dispergens, quo minus

vel gignantur noxia effluvia, vel in corpus nostrum agant, demum facit, coelisque itaque in calidis aërem praefat saluberrimum. Attamen et frigus auget siccitas, vaporationemque ex corporum superficie magis subitam efficiens, peculiares quosdam effectus nostra in corpora edit, ex quibus certe solis, eorum quae et hic, et plerisque aliis in Europae regionibus, ventus perficit Euroaquilo, ratio reddenda est. Modificationibus igitur ex siccitate humiditateque exorientibus explicatis, quae in epidemicis creandis maxime valent, calor nempe frigusque, notanda sunt. Ex frigore incipendum, quam ob causam, mox videbitur. Hoc solidorum simplicium moventiumque fibram tonum augendo, diathesin ad phlogisticam proclivitatem, vel ipsam etiam, si cui placet, diathesin procreat; atque hoc praeferim modo epidemicis quibusdam morbis occasionem praebet. Phlegmasiae hinc fere semper coelis sub frigidis tempestatibusque proveniunt. Verum quidem est, caloris frigorisque vices has ad morbos constituen-

dos multum conferre; et hinc ejusmodi morbi vere praecipue nascuntur, ex frigore tamen, diathesis petenda, epidemicique modificatio peculiaris.

Arteriarum vero sistema adeo calor laxat, ut diathesin minus facile phlogisticam induat. Hinc in regionibus calidis non modo rarius haec diathesis conspicitur, verum etiam hyeme eam et vere, coelis in frigidis exortam, brevi aestatis calores omnino extinguunt. Hoc modo ideo morbis coeli frigidi peculiaribus ex calore, obviam itur; at, in animalium contra fluidis ad putredinem proclivitas ope caloris augetur, ita ut quibuscumque aliis febrium causis occurrentibus aër calidus simul putredinem semper inducat.

Unus quidem caloris effectus existit, praeceteris notandus. Quum enim calor ad putredinem fluidorum quorumcunque augeat proclivitatem, in quaedam praesertim fluida agere videtur, et in bili hoc praecipue fieri observatur. Et hinc plurima febrium intermittentium phaenomena, vulgo expli-
cantur,

cantur, et fortassis rite explicari possent, et si bilis neutiquam pro earum causa habenda sit, uti bene in suis Primis Lineis stabilitavit Cullenus, Sect. LI.

Ut de caloris effectibus dicendorum finem faciamus, notandum est, quamvis, communi ex sententia, calorem diu durantem diathesin phlogisticam depellere diximus; ex stimulo tamen, ipse quem praebet, similia quaedam edere, et inde aestate ineunte ad febres ex intermittentibus remittentes et utrafque in magis continuas mutandas conferre; his iterum calore recedente in intermittentium formam redituris. Ex his denique, quantum vel natura febrium intermittentium, vel earum modificatio, sensibilibus ex aëris qualitatibus pendeat, tandem videmus.

QUÆDAM

QUÆDAM DE CURATIONE.

In extrema hac opusculi nostri parte, in duas istas, de quibus adeo disputatum, quaestiones animum tantum intendemus :

1mo, Num subito, vel quam citissime, paroxysmis recurrentibus, salvo simul aegro, occurrentum sit.

2do, Quae vel ipso in morbo, vel in corporis statu, possint adesse, quae paroxysmis recurrentibus obviam euntibus, periculum praecipue minantur.

Ad corticem praecipue Peruvianum, hancce quaestiones pertinere, auctores spectarunt, utpote qui corticem specificum putarunt, nullaque alia remedia paroxysmis denuo invadentibus, aequa, ac illum, resistere crediderunt. Quoniam autem, ex multis perpensis, alia existere remedia, febris intermittentis paroxysmis aequa valide occursu-

ra,

ra, censemus, quaestionem in genere perpendere magis e re fore philosophiaeque principiis magis accommodatam, nobis videtur. Qui paroxysmis subito occurrere periculose esse opinantur, variis argumentis opinionem suam tuentur. Dicunt enim,

imo, Quoniam, post paroxysmum prorsus solutum, in integrum corpus restituetur, nonnullisque in exemplis, post aliquot paroxysmos repetitos, sponte evanesceret morbus, in hanc de morbi medelae rationem autores quidam inierunt, quod naturae eam esse omnino committendam, vel, si ulla adhibenda sint remedia, ea sola, quae naturae, paroxysmis finem imponenti, auxilientur.

2do, Apud omnes fere haec increbuit opinio, materiem quandam morbificam, seu in corpus illatam, sive ibi genitam, proximam febris causam extare, quam ad rite concoquendam, eque corpore ejiciendam, quaedam morbi duratio, certusque paroxysmorum numerus, esse necessaria, natu-
ramque

ramque haec operantem subito turbantibus,
maximum imminere periculum.

3tio, Et in hanc quoque nonnulli sen-
tentiam ierunt, febres intermittentes neu-
tiquam esse subito coercendas, quippe quae
morbis aliis aliquando medeantur.

4to, Quod autem vel maxime, quo mi-
nus febrium intermittentium compescamus
cursum, objicitur, a congestionibus praefer-
tim obstructionibusque, quae in diversis ab-
dominis visceribus, jecoris praecipue splenif-
que, eveniunt, defumi videtur; tales enim
coacervationes obstructionsque, ope na-
turae sola, per paroxysmos repetitos solven-
das esse dicunt, si que naturam haec moli-
entem, paroxysmis obstanto, turbemus,
plus hinc pertinaciae congestionibus istis fo-
re inditum, unde toti systemati quamplu-
rimum metuendum.

Quae autem ad haec singula responden-
dum nunc perpendamus.

imo, Verum quidem est, eam febris in-
termittentis paroxysmorum naturam videri,
quae et ad ipsos extinguendos morbum-
que

que penitus delendum valeret; et exempla quaedam certe suppetunt intermittentium sponte evanescientium. Raro autem admodum haec eveniunt. Quumque in febribus plerisque intermittentibus, quo saepius morbus redit, eo magis ingravescit, atque id non in malignis tantum tertianis, verum etiam in mitioribus suis formis, accidit, curatioque ejus cunctata saepe systemati admodum nocet. Naturae itaque certe morbi medela minime committenda est.

2do, Quod ad materiem morbificam, febrium intermittentium causam, spectat, eam nunc sententiam refellere nihil opus est, quippe quam et Boerhaviani ipfi omnes ferre respuunt*.

3tio, Minime quidem negabimus, morbum hunc ex paroxysmis iterum iterumque redeuntibus, morboque perstante, aliis fuisse medelae. Attamen exempla adeo rara, quaeque ipfi nunquam vidimus, vix notari merentur. Sin autem ali quem invadat

* Vide Van Swieten Comment. Aph. 757.

vadat intermittens morbo alio laborantem, si que ex febri perstante, vel symptomata paroxysmorum, vel epidemici cogniti natura nihil periculi instare denotent, ante morbum curare primarium, paroxysmis repetitis, interdum sat tuto licet, quam intermittentis cursum compescamus.

4to, Vel ex suis quibusdam theoriis, vel corticis fastidio affirmarunt medici, solitas hoc in morbo abdominalis obstrunctiones, nisi ex intermittentis paroxysmis secundum naturam procedentibus, nulla esse alia via amovendas. Hoc si esset, morbus aliquamdiu forsitan procedere debet. Atque verum quidem est, paroxysmum ad id tendere, ut vasorum extremorum spasmum deleat, ac ideo ut in viscera abdominalis agat, excretoria sua scilicet laxando. Attamen simul notandum est, paroxysmos repetitos has potius obstrunctiones congestionesque confirmare et augere, quam depellere. Ut enim antea notavimus, ex vasis extimis in corporis superficie constrictis, quod in febris studio gelido fit, sanguinis minus solito in

ea vasa propelli, atque ideo in vasis majoribus, praecipue vero in systemate venoso, eum coarcervari, inque vasa interna, maximeque in venam portarum, influere. Verisimile quoque est, et paroxysmis repetitis, coacervationem, hanc fieri majorem stabilioremque, multis nempe exemplis, jecoris splenisque aliorumque abdominis viscerum affectionum, nomine quae *ague cakes* vulgo veniunt, quaeque intermittentes minime interpellatas, remediisque potius parum propriis dilatas, adeo frequenter excipiunt.

Sic denique statuendum censemus,

Quum vel ex peculiaribus symptomatibus, vel ex natura epidemici cognita, morbus subito, paucisve paroxysmis, lethalis evadere videatur, ei certe tunc quam citissime exemplo pro virili succurrendum.

Paroxysmis vero distinctis regularibusque, quibus intervenit apyrexia absoluta, nullis simul existentibus congestionibus, corporisque statu morbido illis denuo incessentibus, primo quoque tempore tuto obveniendum.

Contra

Contra tunc tantum esse tuto cunctandum arbitramur, quum vel ex morbi qualitatibus, vel quibusdam corporis statibus, medio periculum instare videatur.

Prima ex morbi conditionibus ambiguis est intermissionis cujuscunque defectus. Quondam quidem medici medicamenta ad morbum cohibendum, nisi per tempora intermissiones absolutae adhibita nocere putarunt; verum enimvero nunc apud omnes constat, cum ex epidemici natura, vel ex symptomatibus morbi, nulla intermissione expectanda est, prima quavis remissione eveniente morbum medicamentis quam primum esse depellendum.

Sin autem sub continuae febris facie, quod et interdum fit, incipiat morbus, si que ex stadii gelidi primum ingruentis forma vel ex prevalentis epidemici natura, morbique qualitatibus, ad remissiones statim tendentibus, vel constet, vel videatur in intermittentem remittentem eum paullo abiturum, donec intermissione igitur vel remissio

missio fiat, eo usque curationem differen-
dam.

Qui dubii videntur corporis status, hi sunt,
phlogistica nempe diathesis, inque abdomi-
nis visceribus congestiones.

Sanguine missio, regiminisque antiphlo-
gistica ope, diathesis phlogistica curanda est.
Raro autem sanguinis missio necessaria est,
summoque cum cura semper adhibenda.

Appetitus cibi prostratus, pravus oris
fapor, lingua parum nitida, nausea quae-
dam, multa inter paroxysmos vomitio,
multa denique bilis vomitu, vel ex alvo e-
vacuatio, cum haec cuncta congestiones
formari indicant, iis confessim obviam eun-
dum.

Hunc in finem emetica et purgantia ad-
hibenda, ad evacuanda stomachi per e-
metica contenta, canalisque intestinalis pur-
gantium ope. Ex vomitionibus vero in-
ter paroxysmos, purgationibusque adhibitis,
hoc mihi, quod videtur, optime asseque-
mur; neque magis rite hoc effectum est,
ulla alia via, quam parvis emeticorum do-
sibus,

fibus, in stadio febris frigido, repetendis, adeo ut non solum nausea, verum vomitus etiam quidam inducatur; attamen pusillus adeo, ut neutquam ex ore medicamentum totum ejiciatur, sed ad intestina pars ejus transeat, et purgantis ibi munus edat. Haec nempe praxis non solum ad congestiones inque abdominis visceribus coacervationes amovendas, confert, verum etiam ex emeticis, dosibus nauseantibus, ante paroxysmos recursuros exhibitis, in stadio quoque frigido ea adhibendo, saepe prorsus morbus tollitur.

In Hollandia mihi saepe centum simul febribus intermittentibus laborantes curandi erant, et, cortice deficiente, ad alia remedia decurrentum erat. Prae caeteris vero, tartarum emeticum solutum, dosibus exhibitum nauseantibus, vel vomitionem etiam excentibus, horam unam alteramve ante accessionem, inque stadio gelido, prospero cum successu adhibebam. Hujusmodi curatione non solum breviores lenioresque paroxysmos

paroxysmos effeci, at et morbum quoque penitus extinxi.

Post medicamentum per quatuor vel quinque paroxysmos repetitum, via iis de-
nuo ingruentibus prorsus saepe occludeba-
tur; neque fere diutius unquam, quamvis
diu ante extiterat morbus, quam mihi erat cu-
randus, persistebat. Hisce vero, quibus pa-
roxyfsmus redire solebat, diebus, idem ip-
sum rursus adhibendo medicamentum, a
morbo recurrente cavendum esse duximus.

Hoc solo remedio, nullo alio adhibito,
morbum saepe radicitus sustuli; quamvis
multi mihi milites aegri contingerent, qui
bus e Nosocomio exeuntibus militaria mul-
ta opera subeunda erant. Quumque rur-
sus etiam morbus cooperit graffari, qui cor-
tice curati, aequae ac qui hoc modo, morbo
corripiebantur. Simul autem notandum
est, mitiores mihi morbi formas praesertim
contigisse, paroxysmis modicis, intermissio-
nibusque interpositis distinctis; quum enim

symptomata exoribantur lethalia, ad corticem continuo confugiendum decrevi.

Huic nostro opusculo finem imponendo, nihil restat quam ut, propter uberrimos fructus, quos ex praelectionibus hujus Academiae illustrium Professorum percepimus, animum gratum exprimamus ; simulque hanc occasionem multa beneficia, a celeberrimis Hopio et Monroio, in nos collata, memorare lubentissime arripimus.

Praecipue vero Domino Culleno, viro egregio, ob amicitiae signa et beneficia cumulata, me obligatum esse, dum vita suppetit gratissimus recordabor.

F I N I S.

ESTADO DE
SANTOS

54

DEZEMBRO

ANETO SANTOS